The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium, Prologus (fol.52va-vb)

1. Iob summis uirtutibus fultus sibi notus erat et deo qui si non flagellaretur a nobis nullatenus agnosceretur uirtus etiam quippe per quietem se exercuit. sed uirtutis opinio commota per flagella flaglauit. et qui quietus in se ipso quod erat continuit. commotus ad noticiam omnium odorem sue fortitudinis aspersit. Sicut enim unguenta redolere lacius nesciunt nisi commota. et sicut aromata fraglanciam suam non nisi cum intenduntur expandunt. ita uiri sancti omne quod uirtutibus redolent in tribulationibus innotescunt. Vnde recte in euangelio dicitur. Si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis huic monti. transi hinc et transibit. granum quippe sinapis nisi conteratur nequaquam uis uirtutis eius agnoscitur. nam non contritum lene est. si uero conteratur inardescit et quid in se acerrimum latebat ostendit. Sic unusquisque uir sanctus cum non pulsatur despicabilis est ac lenis aspicitur. Siqua uero illum tritura persecutionis opprimat mox omne quod calidum sapit ostentat atque in feruorem uirtutis uertitur quicquid in illo ante despicabile infirmumque uidebatur. quodque in se per transquillitatis tempora libens operuerat exagitatus tribulationibus coactus innotescit. Vnde bene per prophetam dicitur. in die mandauit dominus misericordiam suam et nocte declarauit. misericordia enim domini in die mandatur. quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur. in nocte uero declaratur. quia donum quod in tranquillitate sumitur in tribulationibus manifestatur.

   Vir itaque iste summis uiribus fultus, sibi notus erat et Deo, qui si non flagellaretur a nobis nullatenus agnosceretur. Virtus quippe etiam per quietem se exercuit sed uirtutis opinio commota per flagella fragrauit. Et qui quietus in se ipso quod erat continuit, commotus ad notitiam omnium odorem suae fortitudinis aspersit. Sicut enim unguenta redolere latius nesciunt nisi commota et sicut aromata flagrantiam suam non nisi cum incenduntur expandunt; ita sancti uiri omne quod uirtutibus redolent in tribulationibus innotescunt. Vnde et recte in evangelio dicitur: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transi hinc et transibit*. Granum quippe sinapis nisi conteratur, nequaquam uis uirtutis eius agnoscitur. Nam non contritum lene est si uero conteratur; inardescit, et quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisque uir sanctus cum non pulsatur, despicabilis ac lenis aspicitur; si qua uero illum tritura persecutionis opprimat mox omne, quod calidum sapit ostentat; atque in feruorem uirtutis uertitur, quicquid in illo ante despicabile infirmumque uidebatur. Quodque in se per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitatus tribulationibus coactus innotescit. Vnde bene per prophetam dicitur: *In die mandauit Dominus misericordiam suam et in nocte declarauit*. Misericordia enim Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur; in nocte uero declaratur quia donum, quod in tranquillitate sumitur, tribulationibus manifestatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, Prefatio, 2.6 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.11-12, ll.42-66). cf. Matth. 17:19; Ps. 41:9

2. Pena interrogat si quietus quis ueraciter amat.

   Poena quippe interrogat, si quietus quis ueraciter amat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, Praefatio, 3.7 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.13, ll.17-18).

3. Vir erat in terra hus. non ualde est laudabile bonum esse cum bonis sed bonum esse cum malis. sicut enim grauioris culpe est inter bonos bonum non esse ita immensi est preconii bonum etiam inter malos extitisse.

   Vir erat in terra Hus nomine Iob…. Neque enim ualde laudabile est bonum esse cum bonis sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpae est inter bonos bonum non esse, ita immensi est praeconii, bonum etiam inter malos exstitisse.